171

42



QVÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis 2. Decembris.

M. PHILIPPO MATHON, Doctore Medico, Præside.

An Opium hystericæ accessioni noxium?

I.

QUÆ vaporum nomine circumfertur affectio, in fœminis hysterica, in viris hypochondriaca dicitur. Non libidinis semper, sed sapientiæ interdùm morbus, & literatorum atque sedentium ad libros miserum stipendium. Hoc affectu in hominum ore nihil crebrius; eum aliis reverà patientibus & detestantibus; simulantibus aliis quasi ingenii comitem & fœturam. Quin imò nonnulli Medici quicquid inusitati moris occurrit in morbis, hocce titulo statim insigniunt: an ut imperitiam occultent suam? an ut adulentur ægris, quibus blandiendo imponunt faciliùs? an ut famam aucupentur? ad Deum propiùs accedit nihil quàm ejusmodi symptomatum sanatio. Fœminæ tanti mali insultibus magis obnoxiæ; num quòd earum acrius sit ingenium, aut potius anima debilior, magisque pateant animi commotionibus, atque uterum corporis sentinam sortitæ sint, clarè non liquet. Minùs adhuc perspecta hystericæ affectionis indoles. Prothei instar innumeras induit formas, nec sibi usquam constat. Malè uteri suffocatio & strangulatus nuncupatur. Citra ullam apnœam quandoque sævit paroxysmus, quem nec infert sanguis in pulmonem confertim irruens, & ejus motum intercipiens. Exangues ille non minùs quàm sanguineas corripit, chlorosi laborantibus etiam familiaris, quarum sanguis stagnans & ad efferuescendum ineptior. Illius tamen crebriora symptomata, sunt faucium constrictio, interceptio spiritus cum suffocationis metu, globi cujusdam velut ex imo ventre ascendentis sensus, ructus, nausea, vomitus, palpitatio, animi deliquium. Sæpiùs etiàm brachiorum, crurumque varij motus convulsivi, capitis distortiones, fletus, risus alternatìm insequuntur. Auctâ nonnunquam morbi malitiâ, ingruunt deliria, convulsiones cum spumâ per os expressâ, nec non soporosi affectus. Ad ultima ventum est, illis ubi comatosa accedit affectio, quæ non semper

vi morbi, sed & narcoticorum usu interdùm inducta in Apoplexiam degenerat.

II.

TOT symptomatum parens & author unus halitus è præcordiis, potissimùm tamen è liene & uterô erumpens: focum in cerebrô ne quæras: hoc tamen culpæ non omninò expers; pro variâ ejus constitutione mitiùs vel graviùs affligit malum. Quidquid sensui, aut imaginationi fortius & vehementius oblatum est, ut eæ non ferunt, quibus à naturâ, vel morbô, aut vigiliis spiritus sunt imbecilli & fugaces; ita vel levissimô malignæ hujus auræ afflatu quatiuntur. Quibus contrà spiritus sunt vegeti, firmaque nervosi generis temperies, illius occursu nihil aut parùm accedit incommodi. Sic juvenes robusti ac valentes serotini aëris non sentiunt injurias, quibus senes effœti miserè oblæduntur. Ad augendum etiam minuendum vè paroxysmum non parùm facit ingestorum conditio. Calidiora, ut Theriaca, Mithridatium, nonnullos halitus discutiunt quidem, sed è focô concalefactô & exagitatô longè plures evehunt, quibus aut protrahitur, aut invalescit accessio. Humores mali fomite conclusos reverà coercent Narcotica: at spiritibus densâ nocte circumfusis, sivè cataphorici, sivè paraphorici, vel convulsivi infestent affectus, non sine periculi suspicione usurpantur. Si eorum usu non rarò Lethargum incurrit mulier phrenitica, quantò citiùs ea quæ ab uterô furit, in cujus perniciem narcoticus vapor cum hysterico simul conspirat. Hic ut pote melancholici humoris soboles, quandiù sui juris est, spiritus hebetat & consopit. Quibus verò interdum armatus est spiculis, membranas pungit, & convulsionem movet, spiritus vitrioli in modum, qui licet sanguini permixtus coagulationem ejus efficiat, nervos nihilominùs feriens, spasmos invehit. Idem etiam vapor vehementiùs effrænatiùsque commotus quasi pristinæ actionis oblitus, furias concitat, quô pactô ipsamet narcotica liberaliùs oggesta nonnunquam ægros in furorem præcipites agunt. Hujus autem efferô impetu seu sponte, seu arte cohibitô, veluti suæ redditus indoli sensus denuò tetrâ offundit caligine. Hinc Melancholici fiunt ut plurimum Epileptici; Epileptici contrà melancholici, nec non aliquando Apoplectici. Hinc hystericas convulsiones, & deliria vulgò excipit sopor, interdùm etiam Catoche, vel saltem frigoris & stuporis cujusdam sensus è capite per cervicem in scapulam & brachium descendentis; elapsô nimirùm humore è muliebribus locis, cujus præsentiâ fovebatur accessio. Porrò si concitatiori halitus hysterici motu spontè sedato, tot adhuc calamitates subsequantur, quot metuendæ, ubi ad eum coercendum offeruntur Narcotica, quorum dosim sicut & unius cujusque temperiem assequi difficile ac per arduum!

III.

GRAVITER hallucinantur qui hystericum affectum derivant à serosâ colluvie nervorum principio inhærente, vel à spiritibus animalibus occursu materiæ heterogeneæ in cerebro efferatis, & pyrii pulveris ritu explosis, atque hinc inde per nervos dissilientibus. Ad stupendos saltus quibus hystericæ interdùm jactantur, non opus hac fictitiâ spirituum animalium vibratione. Nudatus tendo, si specillo vel blandissimè attingitur, totum corpus in-

horrefcit, atque concuffione illicò fubortâ aliquandiu obrigefcit. Superarum quidem partium vitia nonnunquam iniquè infernis tribuuntur, ut in vomitu quem ciet cerebri concuffio : at quantùm convulfivi motus à cerebro prodeuntes, ab hyftericis diftant ? illi nufquam, nifi præviis oculorum corufcatione, aurium tinnitu, aut vertigine, invadunt : hi verò nifi prænuncio fenfu cujufdam auræ frigidæ ex inferâ regione afcendentis, & ubi partes fubjectæ ulcere, aut infarctu detinentur, & folemnis aliqua evacuatio fubfiftit. Procul exulent qui nomen vaporis inane & fictitium effe putant ; ille non tantum per venas aut arterias, fed per cœcos ductus ventriculum, diaphragma, œfophagum, trachæam arteriam prætergreffus ad mentis arcem irrepit, quidquid nonnulli reclament nihil ab ore ad eam traduci, tenuiffimo vini fpiritu affufo fellæ fphenoideæ, quam non pervadit. Delibato vini generofi hauftu, illicò reficiuntur vires, priufquam ejus particulæ commeatu fanguinis illuc devehantur. Verùm hyftericæ acceffionis caufa fivè per latentia fpiracula, fivè duntaxat per fanguinis canales deferatur, mentem femper obfcurat, atque non folum vi narcoticorum, fed pro eorum conditione malignior evadit. Horum variæ fpecies. Alia benigniora funt : alia vehementiora ad quæ revocatur opium omnium maximè infidum & periculofum.

IV.

OPIUM fuccus vifcidus è papaveris fativi incifô capite guttatìm ftillans brevique concrefcens, non eft Maslach Turcarum, quod ex pulvere foliorum, & feminis Cannabis vulgaris apud eos Afrar dictæ concinnatum eft. Utrumque apud Orientis incolas crebrò ufurpatur ; at illud nufquam impunè; hoc verò tutiùs. Ne credideris Maflach ad libidinem duntaxat ftimulare, & ad bella accendere, inftar vini potantium naturæ fe fe accomodantis, interdùm venerem aut furorem, aliàs melancholiam, taciturnitatem, fomnum vè inducit. At verò Opium Maflach feu Amphiam fit necnè, quantùm difpar ab eô, quod in officinis proftat : illud ad drachmam fingulis diebus leviori fanitatis difpendiô : hoc ad granum ufque vix fecurè oggeritur. Pro narcofi fæpe necrofim accerfit. Quàm à veterum opiô ut pote candidô, noftrum etiàm diverfum eft ! Si quam quietem conciliat, peregrinis atque lymphaticis ea conturbatur infomniis miferam animam exagitantibus. Eô affumptô quid aliud lucri ? Senfus tantummodò deluduntur, morbi causâ foras non expulsâ. Præftaret morbô definere quàm ejufmodi decipi, fufpensâ pernicie cum fœnore mox furenter erupturâ. Quâcunque arte, vel torrefactione, vel Acidis, vel mofchô, ambrâ, margaritis, falibus volatilibus, aromatis præpares, nufquàm ejus malignitatem correxeris. Quantò majori vi præftat cæteris narcoticis, tantò nocentius gerit in finu virus. Fabulæ funt humores ab eô aliàs fifti, aliàs promoveri : imò lochia fuppreffa fedatô deliriô, feliciter ejus operâ aliquandò erumpere. Confulant Neoterici inanes fuas figuras, quæ non minùs funt obfcuræ, quàm occultæ qualitates, in quas tamen adeò acriter infurgunt, & invehuntur : tamque varios explicent effectus ii fcilicet, qui fe folos putant univerfæ naturæ interpretes.

V.

SOLA plerisque hystericis venus medela est. Ingrata sunt, & insida cætera penè remedia. Si quæ conjugio non levantur, conjugi id debent, cui uxor laboriosa nimis possessio est. Nec aliis artibus libidinem reprimes. Sal Saturni morbum priore deteriorem committit. Nullum alimentum in quô non lateat quoddam amoris spiculum. Ipse Apollo herbarum dominus ejus œstrô percitus, veneri litat. Usque adeò res venerea blandum est malum, quod faciliùs accusare, quàm vitare. Quæ naturæ sacra non facit, longe majora eam manent incommoda, furor, desperatio, Dæmonomania, quâ vix quemquam laborare audias præter cœlibes, & virgines non ampliùs Dæmonem mentituras, si quod exorcismo fuerit proximum, nubere liceat. Sola ferreas mentes libido domat, quæ majorem in virginibus patitur famem, dum dulciùs putant, quod nesciunt. Quod si præ votô, vel viduitate suavem hanc Medicinam degustare non detur: sanguinis missio celebretur è saphoenâ, sicut & cœteris hystericis suppressâ solemni evacuatione, vel obstructione laborantibus. Cucurbitulæ femoribus affigantur. Oleum Gagatis, & Succini, atque sal armoniacum plus celebritatis habent, quàm salubritatis. Accessione sedatâ purgatio per epicrasim, balneum, lactis serum, tinctura martis, cum jusculis cichoriô, agrimoniô, scolopendriô alteratis, thermæ, acidulæ. Hisce præsidiis aliquandiù admininistratis, etiamsi ægræ meliùs se non habeant, Opij nusquàm periculum feceris. Eæ sibi per aliquod tempus relinquendæ. Melancholici morbi neglecti, sæpè leviores evadunt, mirumque ad aliquid conferre negligentiam, cùm aliàs indulgentia morbum producat.

Ergo Opium hystericæ accessioni noxium.

Domini Doctores disputaturi.

M. Ioannes Cordelle.	*M. Petrus Yon.*	*M. Rolandus Merlet.*
M. Petrus Ozon.	*M. Antonius de Sainct-Yon.*	*M. Stephanus le Gaignetur.*
M. Guillelmus Lamy.	*M. Claudius de Quanteal.*	*M. Petrus Bourdelot.*

Asserebat Lutetiæ FRANCISCUS LE RAT, Sylvanectinus. A.R.S.H. 1677.

PARISIIS, Apud Franciscum Muguet, Regis & Illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis Typographum.